

CLL.

Anno 1490. In Castris prope villam Farkashyda.

Diploma inaugurale Vladislai Regis, Regno Croatiae separatim datum.

Nos Wladislaus Dei gracia Hungarie Bohemieque Rex ac Marchio Morauie etc. Recognoscimus et tenore presencium notum facimus, quibus expedit vniuersis: Quod cum his diebus superioribus Serenissimus Princeps condam dominus Mathias Rex Hungarie et Bohemie etc. predecessor noster bone memorie ab hac luce absque heredis legitimi solacio decessisset, Domini Prelati et Barones, ceterique Primores et vniuersi Incole Regni eiusdem, ad quos scilicet ius eligendi novum Regem ex vetustissima Regni ipsius libertate et consuetudine deuolutum exstiterat, animaduertentes, se principe orbatos esse, nec posse commodè et sine Regni graui detrimento diutius capite carere: Post plures tractatus de nouo Rege eligendo et preficiendo inter se habitos, oculos mentis ipsorum in nos conijecerunt et ceteris omnibus principibus christianis, competitoribus scilicet nostris, qui videlicet Regnum ipsum similiter ambiebant, nos pretulerunt, sibi que cum infrascriptis condicionibus, pactis et articulis in Regem dominumque et principem elegerunt et solenniter pronunciauerunt. Ac tandem missis nobis obuiam de eorum medio nonnullis Prelatis et Baronibus in ipsum Regnum Hungarie feliciter coronandos introduxerunt. Quorum quidem articulorum primus est. Quod Regnum Hungarie cum ceteris Regnis et prouinciis sibi subiectis, dominosque Prelatos et Barones, omnes ecclesias ecclesiasticasque personas, ac Nobiles et ciuitates, nec non ceteros Incolas et Inhabitatores eiusdem Regni conseruabimus in antiquis Juribus, Priuilegiis, Immunitatibus, Libertatibus et Consuetudinibus approbatis, in quibus scilicet per diuos quondam Reges conseruati, quibusque gauisi et vsi fuerunt, ita, quod nullas prorsus Nouitates, quemadmodum prefatus quondam dominus Mathias Rex fecerat, in eorundem detrimentum et oppressionem, ac contra huiuscemodi antiquas libertates ipsorum sub aliquo quesito colore introducamus, introductas vero per ipsum Serenissimum condam dominum Mathiam Regem aboleamus, contribucionem autem seu taxam vnus floreni nulla ratione exigamus, sed antiquis iustis, ordinariis et consuetis prouentibus regalibus contenti esse debeamus, item quod bona et alia quecunque Jura aliorum, per prefatum condam dominum Mathiam Regem et Reginalem Maiestatem, ac etiam per alios quoscumque male et preter viam Juris occupata, visis et examinatis Juribus talium, remittamus et faciamus etiam per alios remitti his, quorum exstiterunt. Item, quod Coronam Regni de manibus dominorum Prelatorum et Baronum nulla ex causa, vel quesito colore, nulla etiam industria